

8.14.17

*Idem AA. et CC. Pontiae.*

Quamvis ea pecunia, quam a te mutuo frater tuus accepit, comparavit praedium, tamen nisi specialiter vel generaliter hoc obligavit, tuae pecuniae numeratio in causam pignoris non deduxit, sane personali actione debitum apud praesidem petere non prohiberis.

*S. XV k. Iun. AA. consss.*

[a. 293]

8.14.18

*Idem AA. et CC. Euodio.*

Pignoris vel hypothecae persecutio in rem est.

*S. k. Dec. Sirmi AA.. consss.*

[a. 293]

8.14.19

*Idem AA. et CC. Maximo.*

Sicut vim maiorem pignorum creditor praestare necesse non habet, ita dolum et culpam, sed et custodiam exhibere cogitur.

*S. XVII k. Ian. AA. consss.*

[a. 293]

8.14.20

*Idem AA. et CC. Alexandro.*

Creditor ad petitionem urgeri iure minime potest, quapropter eo, quod vos heredibus Euodiani debere confiditis, oblato et, si nolint accipere, consignato atque deposito de reddendo pignore hos praesimali notione convenite.

*PP. XVIII k. Febr. CC. consss.*

[a. 291]

8.14.21

*Idem AA. et CC. Vito.*

Res obligatas exterus debito soluto liberando datum petere, non earum dominium adipisci potest.

*S. III k. Nov. Retiariae CC. consss.*

[a. 294]

8.14.22

*Idem AA. et CC. Antiochiano.*

Secundus creditor offerndo priori debitum confirmat sibi pignus et a debitore sortem eiusque tantum usuras, quae fuissent praestandae, non etiam usurarum usuras accipit.

*S. III id. Dec. Nicomediae CC. consss.*

[a. 294]